

De ophthalmitide : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Th.H.Math. Oberstadt.

Contributors

Oberstadt, Theodor Heinrich Matthias, 1797-
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Th. Brüsckcke, 1820.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qez7xpbv>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

10
DE

OPHTHALMITIDE

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

AUCTORITATE ET CONSENSU

IN UNIVERSITATE LITTERARUM BEROLINENSI

UT SUMMI SIBI IN

MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CONCEDANTUR

DIE X. M. MARTII A. MDCCCXX

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

Th. H. MATH. OBERSTADT

BAMENOHLENSIS - GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS

H. T. LOESCHER, MED. DR.

J. HÜSER, MED. STUD.

BEROLINI TYPIS TH. BRÜSCHKE.

12

OPHTHALMITIDE
DISSERTATIO
ANATOMICA MEDICA
GRATIOSA FACULTATIS MEDICAE
AUCTORITATE ET CONSENSU
IN UNIVERSITATE LITTEBANO BRUNNENSIS
ET ALIBI IN
MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIS
SINE CONCORDANTIA
DIE X. M. MARTII A. MDCCCXX
PUBLICE DEFENDET
LECTOR

Th. H. Math. OBERSTADT



N. T. LOSCHER, M.D. DR.
J. HUBER, M.D. PR.

BEROLINIUM IN A. T. P. S. S. S.

V I R O

ILLUSTRI CELEBERRIMO EXPERIENTISSIMO

G. F. W. BALSER

PHILOSOPH. MEDICIN. ET CHIRURG. DOCTORI, PROFES-

SORI PUBL. ORDINAR. IN UNIVERSITATE LITTERARIA

GIESSENSI ETC. ETC.

SPECIMEN HOC INAUGURALE

PIA GRATAQUE MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

V I R O

ILLUSTRI CEELEBRATIONE, EXPERIENTISSIMO

G. F. W. BALSER

PHILOSOPH. MEDICIN. ET CHIRURG. DOCTOR, PROFES-

SOR PUBLIC. ORDINAR. IN UNIVERSITATE LITTEARUM

GIENSI ET C.

SPROCHEN HOC INAUGURALE

IN GRATIAQUE MENTE

D. D. D.

DUCTOR

Diagnosis.

Malum in duo dividitur stadia, quorum primum exhibet statum mere inflammatorium, omnibus fere in oculo secretionibus suppressis, alterum vero secretionibus abnormis initio terminatur, atque vario modo, uti omnis inflammatio ad exitum perducitur.

Gravioribus causis occasionalibus praegressis, plerumque solummodo oculus unus hominis robusti, plethorici aut irritabilioris subito afficitur rubore, dolore, ac lucis impatientia; simul adest bulbi ipsius siccitas, cum palpebrae superioris tumore conjuncta. Quae Omnia phaenomena fere eodem tempore ordiuntur, comitante protinus ab initio febre inflammatoria plus minus vehementi.

Mobilitas bulbi est impedita, iris ipsa non-

nunquam rubros refert colores, pupilla quidem adhuc perspicua et clara, sed omnes ejus motus vivaciores, mox angustior et contracta, mox vero dilatata magis et amplior observatur, et organon totum lucis intolerantissimum, ita ut oculus citra dolorem lucem ferre nequeat. Dolor initio premens et constringens, non solum bulbum tenet affectum, et partes ejus vicinas, sed etiam ad tempora, ad orbitae fundum, totumque os occipitis propagatur; postea autem magis magisque increscit, et punctorius, urens, quasi foratorius, postremo pulsatorius observatur; simul omnis mobilitas non solum ob dolorem immanem, sed etiam ob ipsius bulbi et partium cum eo intime cohaerentium tumorem in diem increscentem, omnino est impedita, et aeger ipse sentit: spatium orbitae augustius esse, quam ut bulbus in ea contineri possit; sic ut bulbus aut orbita ipsa rumpi sibi videatur. Rubor initio pallidior, postea ex rubro subniger reperitur, sed omnino aequaliter super conjunctivam est diffusus, ita ut nusquam singula vasa rubentia discerni possint. Jam fere eodem tempore, quo prima ophthalmi- tidis symptomata apparent, palpebra superior intumes- cit, rubet quoque, omnesque ejus plicae ac rugae evanescunt, sed quo magis tumor auge- tur, eo magis et mobilitas impeditur, ita ut aeger illam prorsus elevare nequeat. Rubor qui primo tantum palpebrae marginem tenebat, deinde magis subfuscus observatur, palpebra autem ipsa dures- cit, et quam maxime extenditur.

Praeterea in ophthalmitide, aequae ac in quaque alia inflammatione, functiones organi affecti omnino sunt laesae. Ea ex causa semper spontaneus lucis ex oculo effluxus, et creber, et molestus scintillarum, et fulgurationis sensus observantur, quos, brevi interiecto tempore ob retinae statum inflammatorium, coecitas temporaria subsequitur; initio aegrotus lucis temperaturam adauctam animadvertit, dum omnia objecta clarius illustrata, imo et saepe in lucem ipsam soluta videntur, unde, morbo incrementum, sine ullo momento externo chrupsia et photopsia sequuntur. Eodem modo non a causa externa, sed solummodo a retinae sensibilitate auctiori pendens, photophobia, myosis pupillae, sicuti et blepharospasmus incrementum. Distinguitur hac ratione malum ab inflammatione orbitae, et glandulae lacrymalis, quae licet omnia fere ostendat ophthalmitidis phaenomena, hocce tamen retinae inflammatae phaenomenon sub initio non una adducit. Simili modo et iritis non sub primo ipsius initio retinam inflammatae ostendit. 1) Eadem ratione, qua oculus ipse maiore vivacitate lucem producit, luci externae alienatur, eamque fugit; et aeris impatientior est, quo magis incitamenta eiusmodi eo quod in tenebris habetur aegrotus, oculis quam curatissime munitis amovenda sunt.

1) F. g. g. Benedict de morb. ocul. hum. inflam. lib XXIII. §. 245.

Bulbi siccitas hucusque praevalens, nunc immittitur, et inflammatio leniori mali decursu recedit. Obruuntur lacrymis oculi, et tarsi cilia conglutinat densata materia puriformis, et quaecunque memorata sunt symptomata sensim sensimque evanescent. Plerumque autem inflammatio in majorem gradum accrescit, dolor atrocior, et tantum abest, ut lacrymae, et mucus Meibomianus critice secernantur, ut potius crebro doloribus saevissimis sanguis in cameram oculi anteriorem aut posteriorem fundatur.

Hic sanguis plerumque e vasis ruptis nimis turgentibus effunditur; interdum autem secretio abnormis huic effusioni ansam praebere videtur. Sic Walther 1) observavit ophthalmitidem cum haemophthalmo conjunctam, quae legitime mensium tempore semper apparuit, et menstruationis suppressae vices sustinebat. In alio casu sanguis lympham puriformi commixtus, in cameram anteriorem effusus, in rustica, quae ophthalmitide graviore laboravit, intra dies quatuordecim solummodo ex parte disparuit; sed, reliquis semper magis magisque formam organicam membranosam ineuntibus, per corneae sectionem camerae tota omnibus in eadem contentis multo successu evacuata est, et demum die septimo camera anterior, sanguine materia puriformi commixto de novo repleta erat, qui neque remediis, quorum resorp-

1) Abhandlungen der Chirurg. u. Augenheilkunde v. Ph. Fr. Walther B. I. p. 395.

tionis vias excitandi vis magna est, neque per camerae anterioris sectionem, in posterum adhuc ter repetitam, amoveri poterat.

Rubor et tumor in diem magis magisque increscunt, et interdum ab effusis in cellulosa oculi tum sanguine, tum lymphâ coagulabili, conjunctiva, quae durior uti in chemosi vera, et tanta sensibilitate est, ut vix attactum digiti ferat, adeo tumet, ut undique circum circa corneam velut in aggerem elevetur, intra quem cornea, ac pone hanc locata pupilla velut intra foveam depressae videantur. Et quoniam adnata non modo anteriorem bulbi faciem investit, verum ad interiorem quoque palpebrarum superficiem reflectitur, huc etiam sese inflammatio ejusdem diffundit, ac palpebras in tumorem attollit, atque tum palpebrae conniventes oculum ita obtegunt, ut solo voluntatis arbitrio aperiri nequeant. 1)

Interdum autem in crudae quasi carnis globum conjunctiva tumens, palpebram inferiorem deprimit, ita ut in gena massa globosa ac fungosa intuentibus se offerat. Super carnosam conjunctivae laciniâ, ad enormem magnitudinem amplificata palpebra superior dependet. 2)

Si eo malum jam processerit, una cornea et iris inflammatione corripiuntur, rubrum rete vasculosum

1) Wenzeslai Truka de Krzowitz histor. Ophthalmiae p. 77.

2) Walthers Abhandlungen B. I. p. 396.

intra corneae lamellas apparet, quod deinde corneae suffusione crescente, perspicuitate orbat. Iris vero immobilior, et colore vario modo mutata, pupilla magis contracta, sed omnino aequaliter, ut in media cornea, circulum licet admodum parvum, aequaliter tamen rotundum, neque ut in ophthalmia syphilitica ovatum, et ad canthum internum aut ad partem superiorem distortum exhibeat. Dolor non solum totam orbitam corripit, sed etiam ad occiput, frontem, tempora, genas etc. extenditur. Febris magis magisque increscit, et praesertim in junioribus et sensibilibus non raro adsunt vigiliae nocturnae et delirium. 2.)

Imo in summo inflammationis gradu, quo omnes bulbi tunicae inflammatae una tumescunt, tantus hic tumor oculum corripit, ut quum orbita iam non contineri possit, ex eadem propellatur.

(Proptosis, Exophthalmos.)

Dictis computatis, facile invenies, ophthalmitidem ceteris quibusque inflammationibus ipsius bulbi, partiumque vicinarum eo praeprimis differere:

1) Quod in ea omnes ipsius bulbi membranae, et partes quibus constat, et externae et internae una inflammatione sint correptae. In iritide modo iris et corpus ciliare, in chemosi conjunctiva et sclerotica, in ophthalmitide sic dicta interna retina et choreoidea sedes mali observantur. Absque

1) I. I. Plenck doctrina de morb. oculor.

inflammatione orbitae et glandulae lacrymalis, quacum praeterea eam confundere possis, eo satis superque distinguitur, quod in hisce non tam subito, nec jam primo morbi initio bulbus corripitur, sed sub mali demum incremento.

2) Omnia morbi phaenomena quam maxime inter se conveniunt. Qua de causa dolor, tumor rubor, photophobia, dacryorrhysis semper aequa ratione se habent, quae aequabilitas non solum in toto morbi decursu, sed etiam in singulo quoque phaenomeno observatur.

3) Major decursus concinnitas. Ophthalmitide semel exorta, omnia symptomata sine ulla intermissione usque ad summum mali fastigium increment.

4) Magnus semper glandulae lacrymalis, et glandularum Meibomii consensus, et semper subsequitur in quadam successione secretio critica aucta siccitatem in priori stadio praevalentem.

5) Una cum ophthalmitide febris excitatur, totum corpus magis minusve pro majori aegroti sensibilitate occupans, languor, cephalalgia horripilationes subsequente calore, siti vehemente, et pulsu duro, pleno, celeri et contracto.

E x i t u s.

Morbus, si ad summum processit fastigium, mox formam commutet necesse est, et uti in omni inflammatione, sic et in ophthalmitide

- 1) Omnia phaenomena sensim sensimque per resolutionem regrediuntur, forma saltem bulbi servata, licet varia ex inflammatione vitia in fabrica plerumque non evanescent.
- 2) Resolutio incompleta, vel induratio, quas non raro scirrhus et cancer bulbi subsequitur, praesertim si aegrotus simul dyscrasia aliqua laborat.
- 3) Suppuratio. Cornea turbatur; et bulbus praeterea jam turgidior factus, magis, magisque intumescit, aeger dolore pulsatorio interno, cum sensu gravitatis et frigoris oculi conjuncto torquetur, simul intus suppuratio exorta est. Initio plerumque solummodo in fundo camerae anterioris pus animadvertitur, postea vero crescente suppuratione, in utraque camera tum anteriori, tum posteriori, nec non in quoque bulbi spatio colligitur; et intra corneae lamellas effusum, et in cameris collectum albescente cinereoque colore translucet; postremo autem, si nullum aegro auxilium latum est, pus tanta copia colligitur, ut cornea conice et vorticis purulenti instar propellatur, et saevissimo dolore, delirioque disrumpatur, omnisque oculi liquor in pus quasi mutatus insigni copia effluat. Quo facto, bulbi reliquiae collabuntur, et quamvis nunc inflammatio sedetur, atrophia tamen bulbi accedit, ipsumque citius in orbita extinguit, ita ut tantum scleroticae pars minima relinquatur.
- 4) Ob peculiarem membranarum oculi cum meningibus conjunctionem, non raro inflammatio bulbi ad has propagatur, et encephalitide orta, saepissime mors adducitur.

Aetiologia.

Omnes Ophthalmidis causae dividuntur in externas, et internas, quarum priores oculum immediate afficiunt, posteriores nonnisi per consensum offendunt.

Ad has spectat praedispositio quaedam, qua homines robusti, plethorici, et irritabiles praeprius praediti sunt. Sed et hac praedispositione non praesente, ophthalmis tamen excitari potest. Walther 1) enim hominem commemorat, qui viribus prostratis, et corpore quam debilissimo a typho convalescens nihilominus ab ophthalmide atrocissima correptus est, et non nisi per sanguinis missiones iterum atque iterum repetitas, et regimine maxime antiphlogistico sanari potuit.

Exterius agunt subitae temperaturae vicissitudines, praeprius si oculus ipse ab iis magis afficitur, quare faciem sudore obtectam aqua frigida lavando, et cursu vel ambulatione in aura boreali tempore hiberno accelerata, nec non totius corporis refrigerio, et ardore candenti, et igni ardentiori in fabrica ferraria et vitraria oculos exponendo haud raro ophthalmis inducitur.

Simili modo et insolatio ophthalmidem gignit, praeprius in calidioribus terrae plagis, ubi ob ma-

1) l. c. p. 368.

jorem radiorum solis vim, quodque refrigerium eo vehementius et perniciosius organismum offendere valet. (Ophthalmitis hac ratione exorta, decursu maxime inflammatorio, et verisimile ob meninges simul affectas acutissima observatur.)

Idem quoque fumi acriores oculis admissi, vapores mercuriales, arsenicales ac ammoniacales aut acidorum mineralium volatilium, aut exhalationes animales acriores efficiunt. (Ophthalmitis tali modo existens: plerumque magis caractere blennorrhoeae, quam inflammationis verae occurrit)

Porro et explorationes per microscopium perpetuae, lucubratio immodica, lectio et scriptio in luce vel clariori vel obscuriori, praecipue si labores ejusmodi in longum tempus continuantur, lux quoque intensior, praesertim a candidis corporibus in oculos reflexa ¹⁾ et ipse solis adspectus non raro ophthalmitidi ansam praebere solent. Deinde et corpora aliena, oculis adplicata, praesertim si angulis prominentibus et acuminatis praedita sunt, saepissime ophthalmitidem causant e. g. assulae ferreae, chalybis scintillae, aristae etc. sicuti et stimulus chemicus ut calcis ustae, aut piperis particulae, pulvis tabaci rel.

Postremo huc referendae sunt laesiones bulbi et partium vicinarum externae, ictus, plaga, contusio, operationes chirurgicae, formatio pupillae artificialis,

1) Truka de Krzowitz. p. 27.

ob magnam iridis ipsius laesionem, operatio cataractae, et praeprimis extractio.

Saepius quoque ob intimam oculi membranarum cum meningibus conjunctionem, encephalitidem subsequitur ophthalmitis et contra.

P r o g n o s i s.

In prognosi medicus cautus sit necesse est. In primo tantum stadio, et mitioris ophthalmitidis gradu, pupilla non admodum contracta, aut visu imminuto, bulbo non magnopere tumido, et si partes bulbi interiores retina et chorioidea non una inflammatione vehementiori sunt correptae, mali ulterior progressus remediis convenienter adhibitis saepe brevi tempore cohiberi potest. Interea autem et hic, quamquam sub primo morbi initio illud sanare atque opprimere licuit, tamen semper vel amaurosis perfecta, aut amblyopia saltem amaurotica ex primo morbi in retinam ipsam transgressu remanebit. 1)

Praeterea in prognosi et aegri constitutio, et cum morbis aliis complicationes respiciendae sunt, inter quas complicatio cum febre typhode aut encephalitide, quae saepius post insolationem una cum ophthalmitide observata, quam periculosissima est, ubi nulla non solum oculi servandi spes aderit, sed

1) F. G. G. Benedict. l. c. p. §. 250.

etiam de dubia admodum vitae conservatione medicus necessaria praedicet.

Quoad individualitatem, prognosis eo pejor, si dyscrasia simul adest, quae jam ad gradum altiorem processerit. Tunc enim semper scirrhus extimescendus.

In stadio secundo semper timendum est, ne amaurosis aut saltem amblyopia amaurotica relinquatur. Serius si remedia adhibentur, si tenuia jam concrementa in pupilla animadvertuntur, lucis perceptione imminuta, bulbo toto in ambitu aucto, pupilla partim suppuratione jam consumpta, minima salutis spes nobis affulget.

Tandem, quando in stadio secundo inceperit totius bulbi suppuratio, quando jam rupta fuerit cornea, et de visu et de oculi forma tristissima quaeque praedicenda erunt. Etenim oculus sic destructus citius perfecta extinguitur atrophia.

Gangraena jam exorta, solummodo curatione cautissima exitus in sphacelum, et mors ipsa averti possunt.

C u r a.

Cura non minus localis, quam universalis sit necesse est. Semper autem quam maxime respicienda:

A. corporis natura, constitutio vel sthenica vel asthenica. Constat, quidem non semper habitu plethorico aut irritabili opus esse, ut ophthalmitis

excitetur vere inflammatoria, quae non nisi sanguinis missione sanari possit, ceteris tamen paribus in corpore juniore ac plethorico, et nullo modo adhuc debilitato, in gradu altiori regimen antiphlogisticum adhiberi poterit, quam in exhausto corpore, et sene enervato.

B. Causa. Aliam enim ophthalmitis ab insolatione exorta curationem requirit, ac si corporibus alienis oculo adplicatis excitata fuerit.

C. Minor majorve febris vehementia.

D. Ophthalmitidis stadium.

Stadii primi curatio.

Ulteriorem inflammationis progressum omnimodo cohibeas, et si fieri potest, resolutionem adhuc efficias necesse est, itaque curatio tam localis quam universalis antiphlogistica adhibenda, eoque citius id quidem, quo plura febris inflammatoriae signa pathognomonica adsunt, et ob mali topici vehementiam ipsius bulbi destructio extimescenda est. Praeprimis igitur instituat^{ur} venae sectio, satis larga, et repetita pro febris malum comitantis vehementia. Richtero auctore 1) statim primis morbi initiis per venaesectionem sanguinem mittas, donec minus du-

1) A. G. Richters Anfangs-Gründe der Wund-
arznei-Kunst 3 B. pag. 29.

rus, fortis et celer pulsus sit, et magis convenire videtur in pede, quam in brachio sanguinem detrahere. Interne adhibeantur remedia antiphlogistica jam satis cognita. Inter quae febre atrociori, kali nitricum primum occupat locum, deinde sal amarum cum oxymelite mixtum, pulp. tamarind. cum crem. tart., tart. vilriolat. tart. tart. etc. Benedict. 1) mercurii usum ad prima usque salivationis initia commendat. Praeterea vitae rationem, et diaetam antiphlogisticam, potiones refrigerantes, et quietem aegroto commendare opus est.

Febre autem, et organismi totius cum parte inflammata consensu minori, cum successu cura magis localis quam universalis institui potest. Venae sectio semel instituta hic plerumque sufficit, deinde per hirudines depletio, et cucurbitularum ad tempora applicatio potissimum sunt indicatae.

Pauciores autem sanguisugae saepe magis irritasse, quam oculis auxilio fuisse nobis visae sunt; et quas ad inferiorem palpebram hirudines applicamus, eas, ob teneram, spongiosamque cutis naturam, ecchymoses, lividasque circa oculum relinquere maculas observamus. Hinc ad tempora, vel circa oculos, excepta regione inferiori, vel quindecim aut viginti applicamus hirudines, sanguinemque libere ex vultusculis defluere permittimus. 2) Deinde si sangui-

1) l. c. §. 251.

2) I. P. Frank de cur. hom. [morb. epitome lib. II. p. 76.

nis effluxus destitit, simul unguent. ^{neapolitan.} regioni et infra et supra orbitam illinatur. Si conjunctiva adeo tumet, ut super ipsam corneam propendeat, multo successu ejus scarificatio, et quidem minus bulbi, quam palpebrarum suscipitur. Veteres hanc operationem ophthalmoxysin nominarunt, et superficiem palpebrarum aut ipsius bulbi internam e spicis secalinis in formam scopularum parvarum colligatis (xystro s. d. ophthalmico) vulneravere, et si omnis sanguinis effluxus destiterat, aqua tepida oculus abluebatur. Multo autem melius, et bulbus ipse minus irritatur, si lanceola, aut scalpello, ad operationem cataractae usitato vasa conjunctivae bulbi seu palpebrae inferioris turgescencia persecantur; ubi autem semper maxime cavendum est, ne cornea pellucida laedatur. Si hoc quoque non sufficit, ac si quasi in saccum pendens haec membrana turgeat, ejusdem per forcem excisio profundior haud procul ab angulis oculi internis magno cum fructu instituta est. 1)

Praeterea quicumque ophthalmitide laborat in obscuriori loco degat, omnisque lucis accessionem, aut oculorum intensionem evitet necesse est. Tenue lintheum, aut sacculi sicci e flor. sambuc. et farin. fabar. parati oculo inflammato superimpositi, plerumque sufficiunt. Aqua ophthalmica optime paratur ex

1) Bernsteins prakt. Handbuch für Wundärzte
3. B. p. 48.

aq. rosar. cum mucilag. et extract. hyoscyam., quae et bulbi siccitate jamjam evanescente, magno cum fructu instillari potest. Stagnans in oculorum canthis lymphæ optime decocto emmolliente aut lacte tepido abstergitur.

Si, cura ita Instituta, omnia ophthalmidis phaenomena sensim sensimque evanescent, caute remedia adhibita coercendo, partes affectas integras reddere valebis.

Amblyopia autem jam orta, in eam agamus necesse est, quod saepius hic etiam successit.

Stadii secundi cura.

Secundo vero jam stadio, si universalis ipsius bulbi suppuratio exorta est, maxime si haec nec cohiberi, nec visus ullo modo restitui potest, suppurationem ipsam maturare, ejusque indolem benignam servare studeas. Hic, maximo cum fructu, si major oculorum, palpebrarumque sensibilitas, tensio ac dolor observentur, cataplasmate tepido emmolliente e Specieb. emoll. cum. herb. hyosc. vel. cicut. parato, utimur. Beer. 1) pulvem jam prius adhibitam, e malis paratam magnopere commendat; quae nocte linteo tenui calefacto commutatur. His adjungitur aquae ophthalm. usus, cum multo laudano mixtae

1) Lehre von den Augenkrankheiten, von G. J. Beer. Wien 1813. p. 392.

et laudan, merum bis die illinatur, nec minus epispastica post aures, vel ad tempora adplicata, aut vapor tepidus aquae, aromaticis herbis et floribus impraegnatae exterius quam optime proficiunt. Dolo-
lore autem mitiori, tensione a suppuratione exorta
minori, sacculis herbarum discutientibus bulbi affecti
superficiem fovere maxime convenit. Pure post cu-
ram sic institutam in anteriori bulbi spatio semper
magis magisque collecto, si tensione ac dolore atro-
cissimo aeger cruciatur, si bulbus fere in eo est, ut
rumpatur, corneae incisio maximum aegro leva-
mentum affert. Ipse puris effluxus optime decocto
emmolliente Janini e malva parato, adjuvatur, et
deinde bulbi reliquiae aquae ophthalmic. cum laudano
mixtae, et calorís sicci paululum aromatici usu ulte-
riori plerumque consanescunt.

Beer injuste contendit: medicum cornea jam
rupta in auxilium vocatum, ne oculi formam quidem
servare posse, uti ex sequente casu, quem Giessae
in Policlínico duce celeb. Balser observare mihi li-
cuit, elucet.

Rusticus quidam 45 annorum constitutione sana
et robusta, ex quinque hebdomadis a dolore oculi
dextri et conjunctivitide catarrhali, per sacculos
discutientes adhibitos convaluit. Ante dies octo ad
decem, labore in agro magnopere calefactus, vultum
sudore manantem aqua frigidissima lavavit, nec multo
post doloribus punctoriis atrocissimis in bulbi antea
jam affecti fundo correptus est; oculus ipse rubens
lacrymans, lucis intolerantissimus jam tum motu im-
peditus erat.

Aegro auxilium nusquam implorante, in diem inflammatio cum doloribus atrocissimis increvit, adeoque bulbus tumere coepit, ut diebus tribus vel quatuor post, non solum anterieus orbitae spatium impleret, sed etiam ad pollicem unum propelleretur, et palpebris ex toto maxime inflammatis obtegi non posset. Intus suppuratio jam exorta, cornea rupta, et pars iridis magna prolapsa erat. Conjunctiva bulbi valde erat inflammata, laxata, et carnis crudae instar rubens elevabatur. Pulsus plenus duriusculus subfrequens.

Phthisin bulbi subsecuturam esse, certissime credidimus. Exterius cataplasma emolliens ex herb: hyoscyami et spec. emollient. paratum, tum ad dolores atrocissimos sedandos, tum ad suppurationem maturandam, et vapor tepidus aquae saepius per diem oculo admissus in usum vocata sunt. Ad usum internum adhibebantur tinctur. op. crocat, et aether acet., nutrimenta magis fluida, et facilia concoctu. Diebus quatuor post, suppuratio in bulbo regressa quidem, sed rubens et adhuc tumidissima conjunctiva bulbi et palpebrarum in superficie tota magnam mucii copiam secernere coeperat. Maxime vapores levarunt, omnis palpebrarum inflammatio disparuerat, bulbus ipse mobilior, et minus quam antea propulsus; cornea nisi ea in parte, qua iris prolapsa erat, non laesa, et pellucida, ita ut in camera anteriori sanguis intra iridis fibras effusus facile conspiceretur.

(Remediorum adhibitorum continuatio ordinata est.)

Diebus octo praeteritis omnis jam oculi dolor discesserat, ipsius bulbi tumor minor, et ejus mobilitas multo aucta. Sed conjunctiva adhuc multum mucii secernens, semper magnopere erat inflammata rugis laxata, et in parte aliqua ubi abscessus erat apertus, simul pus effudit. Praeter opii et aether. acet. usum internum simul aq. ophthalm. mucilaginos. cum Zinc. sulphuric. et laudan-juncta instituebatur.

Die post curam institutam vicesimo, conjunctivae tumor jam ita decreverat, ut jam jam albida sclerotica transparet, et investigatione acuratori cum specillo instituta, in superiori bulbi parte ad canthum internum apertura detecta est, quae unam ad duas lineas a cornea remota usque in ejus fundum penetrabat. In cornea ipsa in parte antea jam rupta nunc myocephalon adparuit.

Aqua ophthalmica jam supra dicta continuata, mox bulbus ad magnitudinem et formam justam rediit, apertura in sclerotica sensim clausa, et in cornea, ubi iris prolapsa erat, tantum punctum subnigrum adspicientibus se obtulit.

Quod interna attinet medicamenta in Stad. II., febris malum comitantis rationi respondeant necesse est. Raro adhuc regimine vere antiphlogistico opus erit, et plerumque diathesi adhuc magis phlogistica, calomelanos usus internus sufficet. Febre autem jam cum insigni debilitate stipata, remedia suppurationem maturantia, ac vires adjuvantia adhiberi opus est, inter omnia cort. chin, calam. aromat. etc. Simul cum his magno cum fructu jungantur nervina volatilia, rad. valer. rad. angel. liq. anod. min. Hoffmanni,

aether acet. etc. et omnibus ad dolores saepe gravissimos sedandos opium maxime praestat.

Si dyscrasia aliqua, morbus scrofulosus, syphilis, arthritis adsunt, praeter ophthalmidis curam natura morbi specifica simul respicienda est. Scirrhus tunc facillime subsequens, optime caloris sicci applicatione externa, saepius per diem instillanda aq. ophthalm. cum laudano multo parata, et usu interno convenientium remediorum praecavetur.

Quorum remediorum usu continuato sensim sensimque atrophia bulbi perfecta adducitur, tumoris ambitus magis magisque decrescit, durities resolvitur, et degeneratio cancrosa non extimescenda.

Gangraena autem jam exorta, solummodo remediorum maxime excitantium usu tum externo tum interno exitus in sphacelum et mors ipse praecaveri possunt. Quare praeprimis china, camphora et ammonium interius adhibeantur necesse est. Exterius autem experientia doctus Beer. 1) decoctum chinae concentratum cum theriac. c. tinctur. op. et balsam. peruv. junctum maximis laudibus effert.

1) l. c. p. 393.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego Theodorus Henricus Matthias Oberstadt Bamenohli in ducatu Guestphaliae a MDCCXCVII. natus sum patre aerarii praefecto. Inferioribus Scholis Werlis absolutis, anno aetatis meae XII. Gymnasium Arnbergense adgressus sum. Tbi quinque annos litteris incubui, deindeque autumno anni MDCCCXV. ad medicinae studium aggrediendum, Giessam me contuli, ubi per triennium et sex menses arti medicae operam dedi: Praeceptoribus gavisus sum in anatomia, physiologia generali, specialique et botanica celeb. Willbrand, in pathologia, et generali et speciali, nec minus in therapia speciali, ophthalmologia, et exercitationibus clinicis celeb. Balser, in chirurgia, et arte obstetricia, non solum theoretica, sed etiam practica celeb. Rittgen in chemia celeb.

Müller in physice celeb. Schmidt in therapia generali, materia medica ac pharmacologia, et exercitationibus anatomiae practicis celeb. Vogt, - in interpretando Celso celeb. Nebel. Giessa relicta vere anni elapsi universitatem litterariam Berolinensem petii, in qua

per semestre aestivum policlinicum duce Ill. Hufeland, scholas clinicas Ill. Graefe, exercitationes practicas in arte obstetricia et machina phantome Ill. de Siebold, nec minus operationes et repetitiones clinicas ophthalmiatricas exper. Iüngken frequentavi.

Per semestre hybernum exercitationibus anatomicis in theatro anatomico ducibus Rudolphi et Knappe Vir. Ill. vacavi, nec minus a cel. Bernstein ad scholas suas acologicas admissus sum. Ad praxin medicam vero exercendam Policlinicum Ill. Hufeland frequentavi, ad chirurgicam, clinicum celeb. Rust, unaque institutionibus clinicis Clar. Neumann interfui.

Tentamine et examine rigoroso rite peractis, spero, fore ut hacce de ophthalmitide dissertatione publice defensa, summi in medicina et chirurgia honores more majorum in me conferantur.

THESES.

I.

Diabetae Nosologia nobis non nota,

II.

Reclinatio et depressio aliis cataractam operandi
methodis praefereandae.

III.

Asthma acutum Millari morbus est catarrhalis,

IV.

Rheumatismus et Arthritis non gradu, sed re
differrunt.

[Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.]

[Faint, illegible text below the top section.]

THESES.

[Faint, illegible text below the title.]

I. Diabetae Nosologia nobis non nota.

II. Reclinatio et depressio alia cataractam operanti.

III. *[Faint text]*

IV. *[Faint text]*

V. Rheumatismus et Arthritis non gradus, sed res

[Faint text]

[Faint text]

[Faint text]

[Faint text]

[Faint text]

[Faint text]

[Faint text]